

14

DE
PHŒNOMENIS
OSTENTIS,

Ab Anno: M. DC. XLI. ad M. DC. L.

Opusculum

D. IOANNIS GARIBI
Philosophiæ, ac Astrologiæ Periti.
CVM INTERPRETATIONIBVS
Clarissimorum Virorum

LEONARDI *Busseri Louanien.*

CLAVDII *Lamberti Burgundi.*

SANCII *de Huerta Vallisoletani.*

CHRISTOPHORI *Braha Dani.*

D. Angelo Mariæ Schiattino Excell.^{mi} Ducis Bideni
Primogenito Dicatum.



VENETIIS, *Apud Iuntas*, M. DC. LI.

DE LICENTIA SVPERIORVM.

PHENOMENIS

OSTENTIS

ANNO DOMINI MDCCLXXII

Quarta

IN IOANNIS GARIBI

OPUS

IN PARS

LIBER

PRIMUS

DE

...

D. Angelus ...

...



VENETIS, MDCCLXXII

...



Illustrissimo Viro

D. DON ANGELO MARIÆ
SCHIATTINO

Excellentiss. Ducis Bideni primogenito, Dño suo Colendiss.



IRABERIS Vir Illustrissime, oblationem quam glorioso nomini tuo nunc adscribo; tum ut vacuum aereum munus, tum ut totaliter seiunctum à grauioribus, qua sustines muneribus: idem fateor equidem ex parte. sed si ex aduerso mihi mitior dignaberis materiam intueri; ubique grata curiositati spectacula, monstra menti eo iucundiora, quo misteriosa occurrent. Sed ne mea propria causa orator videar; fateor iterum, me tibi vapores, aerem, fumum obtulisse: verum & ha res (adulatione procul) te forsan tanto digniores, quanto commateriales Altarium vaporibus, quanto sublimiores animi tui dotes, quanto generositate, prudentia, nobilitate,

tate, & morum integritate, plerosque tui ordinis antecellis.
 Et ne hoc Zelanti cultu Adulationis monstrum me Zoilus co-
 luisse prasumat: dicat quidquid blatterare potest; an non qui
 tam honorificis diplomatibus, honoribus, encomijs, titulis, Ci-
 uitatis Bideni imperio ab Augustiori duplicis Orbis Monarcha
 ornatus, ab alijs qua decernuntur Heroibus mereatur? atq;
 ne dum merito iura soluere tento, modestiam forsan offendam.
 hic reuerenti silentio, muta aerea phantasmata sequar, illo-
 rum portentosis signis solum addens titulum. quem mihi inde-
 lebilem elegi

Illustris. Dom.ⁿⁱ Tua



Seruus addictissimus

Ioannes Garibus.

DE

DE
PHŒNOMENIS
OSTENTIS.



PLV RIMA præter naturæ motum & operationem tam in superioribus, quam in inferioribus mundi partibus contigisse, ab ipso mundi exordio, vsque ad hæc nostra tempora curiosis rerum inuestigatoribus compertum est. non solum enim ex sacrarum rerum monumentis extant portentorum, atque prodigiorum in aere argumenta quamplurima: verum etiam ex prophæis Historijs Græcis, atque Latinis, veteribus, ac recentioribus manent insignia testimonia. quæ maximarum mutationum, & calamitatum futurarum esse indicia experientia est comprobatum. licet enim ostentorum, atque prodigiorum multa sint, quæ naturaliter solent euenire. quorumque rationes adiunctis demonstrationibus ex Philosophorum, ac Astrologorum præceptis reddi possunt: nihil tamen certius est, quam Deum Naturæ dominum ad ostensionem nunc suæ Maiestatis, nunc bonitatis, nunc verò iracundiæ erga homines significationes esse voluisse: nam quis naturalium rerum tam imperitus est, qui neget Eclypsim qua interposita Luna Solis radij impediuntur naturaliter fieri, & attramen constat, dum Christus D. N. in Crucem actus fuisse Solem Eclypsim passum amisisse suum splendorem ab hora sexta vsque ad horam nonam. quo sane tempore naturaliter fieri non potuit. cum per tres integras horas durauerit, Luna decimaquarta, ideoque plena, atque tunc in Oriente, cum Sol esset in Occidente. vnde Dionysius Areopagita, insignis Philosophus, cum esset eo tempore Heliopoli in Ægypto cum Apollophane Sophista Præceptore suo, videretque Solem contra naturam obscurari; dixisse fertur. rerum diuinarum videmus vicissitudines. aut igitur Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissoluetur. quare hoc prodigio conuersus, verum Deum (vt apud Suidam, ac ipsum quoque Dionysium in præclara illa ad Policarpum epistola legimus) postea cognouit. & conuertente deinde Paulo Apostolo, solus è Philosophis, qui aderant credidit. non certè caruerunt illa significatione iræ Dei, ac futuræ cladis gentis Iudaicæ. quemadmodum & tenebræ Ægyptiacæ, futuram vltionem Ægyptiorum portendebant. ac deinde mysterium habuerunt, quod erga lucem Solis Christi, qui est Sol Iustitiæ; nihil aliud sit, quam tenebrarum horror, & caligo mentis peruersæ. fuit & hora tenebrarum, vt antea suis Christus dixerat, in quæ cæcitas, ac potestas tenebrarum præualebat contra Dei immensa beneficia inter Iudæos, qui Christum lucis auctorem condemnabant ad mortem.

Idem dici potest de terræ motu : quæ ex inclusis vaporibus in terræ cavernis exitum quærentibus, naturaliter generatur. quemque naturalium rerum periti potentia Iouis, atque Saturni (eo quod hæc sydera multum vaporis continent) ascribunt. sed illo tempore supernaturales rationes habuisse iracundiæ diuinæ non leue erga populum fignratum signum fuisse quis negabit ? terræ motum enim diuinæ iræ signum esse scriptura diuina manifestè exprimit cum ait. Commota est, & contremuit terra. fundamenta montium concussa sunt. & statim subiungit causam. quoniam iratus est eis Dominus.

Non condemnamus naturales rationes. ac plurimum etiã Astrologiæ tribuimus. sed scimus naturam vt in rebus salutaribus, sic etiã aduersis, Dei ministram esse, vt suo ministerio pijs profit, oblit etiã impijs, pro affectuum diuersitate. Idem in Monstris etiã diuersis contingit, in quorum consideratione Medici, quamuis acutissimè de feminis natura in corporibus, de eius vbertate, abundantia, defectu, coniunctionibus ; item de formatione infantum, vel brutorum etiã animalium cuiuscumque generis in vtero materno disputent, variasque ex naturalibus decretis, imaginatione generantium adferant rationes, quibus probant geminos vtrius atque coagulari defectu naturæ, nunc infantes monstruosos ac interdum nihilominus quam hominem nasci. negari tamen non potest non minimum iræ, ac maledictionis diuinæ signum esse. cum Deus potissimum coniugibus pijs benedictionem promiserit. Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Et omnes Historiæ testantur magnarum in mundo vicissitudinum, atque calamitatum aliqua præludia fuisse demonstrata. quod quidem pari modo dicendum est de omnibus prodigijs, atque ostentis, tam cælestibus, quam terrestribus diuersarum specierum. verum, quia solum de apparentibus in sublime ostentis hic nobis instituendus est sermo. Decadem proponimus ostentorum postremorum decem annorum : in quibus visa sunt in acre aliquot spectra insignia, quæ per aliquot noctes in sublime apparuisse, ex diuersis mundi partibus certum est. multumque negotij facesserunt pijs ac doctis viris ; qui per litteras admonentes amicos, absentes, vt ad noua, & insolita ostenta attenderent animum, ac rescriberent ; si quidem vt ab illis conspicerentur ea phænomena ; pari modo ab alijs mundi partibus, eadem hora, eodem loco, & sub eadem forma conspicerentur. quod eum esset factum ; & paribus diligentia, & studijs animaduersum : repertum fuit in Decade postremorum hæc annorum, visa fuisse infraposita phænomena. quorum ex vniuersi sensu quatuor præcipuè clarissimorum virorum testimonijs damus exempla. & circa illa, quæ fuerint eorum placita, collecta ex ordine recensebimus. vt forte mundus edoctus præsentissimis hæc signis, aliqua ratione moneri possit ad placandum diuini Numinis iram. cum iam ruituri orbis manifestissima signa in promptu esse videamus. quo sane nomine nos Gentilibus multo, non dico inferiores, sed ad impietatem magis pronos esse turpissimum dictu est. constatenim ex Latinis Historijs cum aliquid diri, vel aduersi continebat ; supplicationes publicas ad auertendam Deorum iram in aliquot dies indi-

indixisse, ac in Deorum templis, arisque, diuersis cęremonijs Deos suos placare, conatos, vnde sua auguria obseruabant ę cęlo, ex volatilibus, siue animum tripudij, vt si vitulus ę sacrificantium se manibus eripuisset, aut inter sacrificandum aliquid triste oculis, aut auribus occurrisset, aut aliquid in eo defuisset, sed ęuentus esset nemo dubitabat. ex quadrupedibus diuersis, vt si Lupus in Vrbe, vel Castris, serpens in domo, Lepus in via apparuisset. diris, cuius generis orant offensiones pedum, voces incertis auctoribus auditę. hominibus, vt si ęthiops, vel inusitata magnitudinis homo occurrisset. quorum omnium mentio fit in Romanorum rebus gestis, ac gente omnium supersticiosissima. in quibus tamen hoc, in tanta tenebrorum mole laudandum est, quod adhuc Gentiles veri, ac omnipotentis Dei cognitione orbat, diuinum tamen Numen sibi iratum non tantum intellexerint, sed etiam obsecrationibus publicis, & eo etiam cultu quem Dijs gratum sibi ę suis persuadebant, placare voluerunt. nec dubium sane est multo grauiora facturos iuisse, si Dei lumine prędicatione Apostolica illustrati fuissent. non desunt tamen nobis exempla veteris Ecclesię in qua Christiani dum iram Dei presentem intuiti essent, indictis supplicationibus publicis, ac ieiunijs, exemplo Ninuitarum placare conati sunt. constat enim Theodosium Imperatorem in dira tempestate, supplicationes publicas indixisse, pro impetranda aeris clementia. supplicasse Christianos in duro Persarum bello contra Ardebutum pro victoria. S. Gregorium Pontificem sub Mauritio Imperatore instituisse solemnes preces tempore pestis. Stephanum Tertium, Ioannem Vigesimalmum, aliosque Pontifices, flagranti, ac deuoto animo contra alias Christianorum calamitates: quemadmodum & Constantino-politani in grauissimo terrę motu, quo tota Vrbs fere corruit: & alij populi, pijs, ac publicis supplicationibus, & elemosynis largissimis diram Numinis iram auertere procurarunt.

Vtinam hodie essent qui in tam periculoso, ac deplorato tempore. in tantis Europę cladibus. in tam labefact. ro hinc inde rerum publicarum statu, tam corruptis moribus, quo Dei presentem iram prę oculis videmus (ac eadem horrendis prodigijs multo maiora minatur) malorum poenitentia ducti innocentia, in nouatione melioris vitę, diuinum Numen orationibus mitigarent. Sed ad phenomēna ostenta propozita iam tandem accedamus.

CASSOPEA

1641



SISTEMA PRIMVM,



ANNO Christi 1641. die 17. Decembris hora tertia noctis vsque ad sextam, positus in altitudine Poli Borealis grad. 40. 33. 28. 2. visum fuit circa Cassiopeæ constellationem spectrum, quod videbatur repræsentare figuram viri vestiti more Germanico, qui gerebat incipite pileum oblongum fastigiatum, ac plumis ornatum dextera ferebat lanceam coopertam mappa linea, sinistra verò linteum oblongum. figura tota erat fusca subrubens, ac turbida.

Leonardus. Buslerus Louanienis in sua Meteorologia. lib. 3. alloquens Valentinum Crupium Moguntinum ait, se cum Louanij Astrorum speculationi esset intentus in edito loco vidisse hoc spectrum. cumque diligenter intendisset visum; & instrumentis Mathematicis acuratissimè perquisisset situm, & qualitatem ostenti inuenisse non fuisse illud corpus solidum, sed rarum admodum, & velut compactum ex vaporibus, intermixtum quibusdam corpusculis accensis, totum tamen intus radians. cæterum deprehendisse collocatum in suprema parte secundæ regionis aeris. & in eodem loco perdurasse fixum per tres horas. immo cum Ventus non leuis è regione Cauri spirare cepisset; eodem loco semper immotum permanissee fixum, momentoque disparuisse, sui vestigium nullum omnino relinquens. nullo aeris motu nullo sonitu, nullo fulgore subsequente.

Species hominum alias fuisse visas in sublime constat ex Floro lib. 1. cap. 11. Iulio obsequente cap. 10. ex lib. 2. Liuij lib. 4. decad. 3. anno ante Christinativitatem. cur enim Aulus Posthumius Dictator contra Latinos; qui in Romanos coniuuauerant ad lacum Regillum pugnaret, ac victoria iam nütaret duo Iuvenes è sublimi prodeuntes candidis equis apparuerunt, qui insigni virtute pro salute Romanorum fortissimè dimicarunt. quos Dictator post victoriam quæritos vt dignis muneribus honoraret, non fuerunt inuenti. multi tamen illos cælos ascendisse testati sunt. & in sublimi immotos se præbuisse videndos per trium horatum spatium.

Sabellicus lib. 3. ennead. 5. ex Liuij lib. 4. decad. 3. refert anno ante Christum 212. Adriæ in sublimi visam fuisse aram hominumque species circa eam in candida veste velut adorantes.

Anno Domini 349. Mense Maij in Vrbe Antiochia nocturno tempore visum fuit simulacrum in aere habitu scæmineo, magnitudine ingenti, & aspectu adeo truci, vt pauorem incuteret spectantibus. cum præcipuè flagello grauitè sonanti formidinem incuteret, quod spectrum durauit per quindecim noctes incipiens ab hora secunda vsque ad quartam, secuta est subuersio illius Ciuitatis ex horribili terræmotu, qui adificiorum maximam partem disiecit, amplisque voraginibus absorbuisset fere omnia. Munsterus & alij multi Autores, id testantur.

Anno Domini 1549. in Oppido Voilandæ die 13. Ianuarij. sub auroram in æthere

æthere sereno conspectus est procerus vir habitu, & ornatu Principis Germani. supra quem ad latus alterum Leo, ad alterum vetò Agnus apparuit, quise mutuo amplectentes; gestu, amoris indicia præbuerunt. Iertum etiam ex alia parte apparuit in nubibus, quod arripere conatus est Princeps, sed frustra. gladium autem (qui sub pedibus eius diu visus erat) capulo abreptum ter, quaterque contorsit in aere, vibrauitque: donec totum ostentum mole nubium sepeliretur. Iobus Fincelius de miraculis. lib. 2.

Anno Domini 1553. die 3. Ianuarij in Oppido Tymigræ, apparuit inter nubes imago viri proceri, à quo caput paulatim manare sanguis. deinde scintilla emicuerunt. ad extremum in minutas particulas defluxit. scribit Georgius Fabricius Chemnicensis in Misniacis.

Anno Domini 1554. die 24. Iulij circa horā noctis decimam. in Palatinatu Rheni superiore: ad Bohemicam sylvam apparuerunt duo viri cataphracti; quorum alter altero erat quantitate corporis maior, & habebat ad vmbilicum stellam præfulgidam. mucrone autem igneo conspicuus. inter quos statura minimus inito graui prælio concidit, itavt se subleuare non posset, ac victori sede allata recumbendi potestas facta est. qui sedens aliquandiu, non desijt decumbenti grauiora minitari, donec sublatus vterque evanuit. Marcus Frytschius in Meteorologicis.

Anno Domini 1556. die 6. Octobr. in Babatscha, Ciuitate Hungariæ, ante Solis ortum: visa est in aere duorum puerorum, nudorum quidem, sed clypeis militariibus, ac gladijs pugna. in qua is, qui scutum duplici Aquila ornatum habebat, munitum armatura Turcica adco prostrare visus est, vt corpus multis ictibus vulneratum, è nubibus in terram cadere visum sit. refert Vuolphangus Straucho Norimbergensis. Iobus verò Fincelius ait in Hispanijs visa esse similia an. 1536. quare mirum videri non debet si anno 1641. spectrum hominis supradictum visum fuit. mirum potius videri debet, quod sit visum eodem situ ex diuersis Poli altitudinibus. constat enim ex Theoricis Planetarum phænomena esse admodum diuersa ex locis diuersis aspecta. hoc verò phænomenon eodem prorsus modo, eademque hora aspectum est in Dania, in Hispania, in Burgundia, & in Belgio. & potuit idem forte videri in Italia, licet adhuc mihi notum minimè sit, obseruatum fuisse ab Italis. constat verò eodem modo, eademque hora conspectum ex epistolis Christophori Brahe, Sancij de Huerta, Claudij Lamberti, ac Leonardi Busseri, quæ hic inserere superfluum visum fuit. maximè cum ij omnes in suis operibus nuperrimè euulgatis satis abundè testati sint.

I V D I C I V M.

Leonardus Busserus huiusmodi ostentum innuere ait, aliquid de Comite Palatino Rheni, qui vnus è septem viris Imperij Romani visus est indutus more Germanico, pileo fastigiato, plumis ornato, in signum potestatis. aitque quod ferebat lancem mappa coopertam, cum linteo longo ad læuam. quia Comes Palatinus

us est Cæsaris Pincerna, id autem protendere, quod licet exul & extorris à suo Principatu, iterum ad illam reuersurus est, & rediturus in gratiam Cæsaris, & in officio suo subseruiturus. Ego verò existimo, quod licet vestitus Germanicus potest seruire interpretationi Busseri. & quod ait de pileo fastigiato trahi potest ad significandam potestatem. tamen quod attrinet ad plumas, non videre me quomodo aptæ interpretationi suffragentur. nam quidem quod ait de lance mappa cooperta referri potest ad Pincernam; quis non dixerit multum differre poculum à lance, & Pincernam non ferre cibum, sed potum ministrare. quod si ex linteo oblongo ad læuam posito demonstrari contendat Pincernam: dubium adhuc relinquet quomodo linteum ad significandam potationem vsurpetur.

Claudius Lambertus diuersa via sibi gradiendum duxit, per viri enim figuram in hoc phœnomeno vestitam Germanico more: interpretatur Suecum. caput autem pileo eleuato, plumis ornatum; ait esse clarum militiæ signum, non improprium Suecorum militum, tum sæculis retroactis, tum præsentibus temporibus bello illustrium. Virum autem ferre lancem mappa coopertam; contendit significare Suecum ex Germania sibi opipare paraturum cibum.

quem referre possit ad suam patriam. deferre autem ad læuam linteum. siquidem positis armis, & pace composita, illum nullo contradicente repedare posse.

quæ interpretatio visa est etiam haud impropria Sancio de Huerta: qui scribens ad Christophorum Brahe,

laudat Claudij Lamberti prognosticon. modo interpretatio-
ni respon-
deat


euentus. hoc autem tempore quo scribimus, iam non est dubitandum, cum impleta esse omnia liquido constet.

∴

1642



ORON



SISTEMA SECVNDVM.



ANNO 1642. die 24. Februarij hora 9. noctis sub constellatione Orionis ad altitudinem poli Borealis grad. 46. 33. 28. 21. visum est huiusmodi spectrum per tres horas versus Orientem. signum Crucis, quæ ad omne latus habebat alias quatuor paruas cruces; versus Orientem vero apparuerunt quatuor aues volantes vna post aliam, cæque omnes vno Iaculo transfixæ. è regione vero terræ videbantur exoriri quatuor venti, qui cespitem rosarum vno impetu subuertere contendebant.

Multoties apparuisse cruces in sublime, testantur veterum monumenta.

ANNO 315. Constantino Magno pugnante contra Maxentium Crucis vexillum apparuit in aere. Historia Ecclesiastica, Baronius, & quamplurimi.

ANNO Domini 1120. Leodij subito tranquillo aere apparuit Crux circumdata nubibus sanguineis. testantur annales Boiorum ab Auentino editi.

ANNO 1156. Calendis Octobris Florentiæ apparuit in Luna signum Crucis quod portendebatur per spatium satis amplum supra, infra, & è lateribus corporis Lunaris, quod refert Sigebertus. lib. 3.

ANNO 1157. mense Septembris cælo omnium serenissimo visi sunt tres Soles siue parilia. & post dies tres eiusdem mensis tres Lunæ, & in Luna medium locum occupante, (quæ est verè Luna ex doctrina Astrologorum) visa est Crux alba. interrogati naturalium rerum Doctores ex Parisiensi, Bononiensi, Patauino pronostica interpretati sunt vnanimes. innuere Cardinalium discordiam in electione Summi Pontificis, & Principum quoque Electorum in electione Romanorum Regis. nec fecellit euentus homines ingenio acutissimos, paulo enim post contra Alexandrum Pontificem Maximum quatuor alij electi fuerunt: non sine maxima populi seditione. vt refert Platina. & notauit Conradus Lycostenes. lib. 4.

ANNO 1218. Mense Maij in Villa Ledon Frisiæ apparuit Crux triplex in aere, vna candida versus Aquilonem, alia versus meridiem eiusdem coloris, tertia vero medio colore depicta: habens figuram hominis in ea suspensam eleuatis brachijs, & suspensis cum infixione clauorum, in manibus & pedibus, capite autem inclinato, quæ media erat inter alias. eodem tempore apparuit crux cærulei coloris iuxta Solem. & alia huic planè similis, sed paulo post in Diæcesi Traiectensi. & statim susceptæ sunt expeditiones contra Saracenos Christiani nominis hostes, ad fidei Christianæ defensionem. Vincentius Belluac. lib. 31. cap. 73.

ANNO 1269. 6. Decembris in crepusculo nouus, & insignis splendor in figuram Crucis efformatus cælitus, non modo Urbem, sed Cracouiensem regionem illustrauit, vt à Martino Cromero lib. 9. Polonica Hist. scriptum est.

ANNO 1372. die 5. Iunij. Basileæ insolitus circulus seu corona circa Solem visus, supra quem duæ Cruces rubei coloris eminebant. vt affirmat Stumpfius in Annal.

Anno 1545. 29. Martij circa horam octauam ante meridianam apparuere in Polonia tres Cruces punice coloris in celo: inter quas cataphraetus miles flammeo gladio contra oppositum exercitum pugnabat ad horam fere integram. deinde nubium occurſu euanuit. ſcribit Fincelius de miraculis lib. 3.

Anno 1547. die 15. Septembris ab hora tertia ad 9. noctis viſa eſt in Heluetia in aere alba *CruX* in maximam longitudinem extenſa. Marcus Friſchiuſ in Annal.

Eadem anno idibus Decembris non procul à Roma, circa horam tertiam pomeridianam, ſereno celo viſa fuit in aere *CruX* rubea, & iuxta illam virga ſanguinea, in cuius vertice *Aquila* vibrabat alas. quæ viſo durauit tribus integris diebus. Iobus Fincelius de mirac. quo anno Tridentium Concilium promulgatum eſt.

Idem refert Anno 1550. 5. Iulij: inter ſextam, & nonam horam diei viſam fuiſſe *Crucem* nigram ſereno celo. Piſis.

Et 1553. menſe Septembris Vitembergæ 5. hora noctis puniceam *crucem* fuiſſe conſpectam.

Imagines vero auium viſas fuiſſe in celo, referunt Autores. Alexandro enim Macedone iter faciente per Syriam, Ægyptum, & alias regiones ob locorum difficultatem inſuetas; atque hinc inde cum exercitu caſtra mutante; cum ductores conſuſi viam amiſſiſſent, & iam errare cepiſſent: ſpecies auium apparuerunt in celo, quæ diſperſis comitibus viam demonſtrare, ac tardius ſubſequentes præſtolari videbantur. tradit Plutarchus in Alexandro.

Iterum cum Alexandro ſacrificanti corona eſſet capiti impoſita: ſpecies auiſ præteruolantis eſt viſa in ſublime: cuius oſtento Regni mutationem ſignificari Aruſpices retulerunt. & meminit Arianus lib. 2. de reb. geſt. Alex.

Bruto, & Caſſio pugnam aduerſus Antonium molientibus, vulturum, & aliarum auium ingens vis apparuit in celo præliantium inter ſe, & concurrentium in vnâ quali turmam, quæ pendula per ſeptem fere horâs multorum oculos rapuit. miræque ſunt milites oſtentum, vt ait Plutarchus.

Anno Domini 1594. in Pago Belluaceniſi viſa eſt magna multitudo coruorum roſtris portantium ardentes carbones. quod viſum eſt per tres noctes continuas: diſparebantque ſub auroram. paulo poſt ſecuta eſt vaſtatio totius Prouinciæ Sanctonum per Britones, qui ſæuientes in vtriuſque ſexu homines, lanienam crudeliſſimam exercuerunt. Funimundus teſtatur in Annal. Fran.

I V D I C I V M.

Claudius Lambertus cap. 9. ſui viridarij Aſtronomici, ait quando eumque viſæ ſunt Cruces in ſublimi ſecutas eſſe maximas calamitates in ijs Prouincijs in quibus apparuere. trahitque longiſſimam inductionem atque ideo ait Cruces conſpectas anno 1642. Danis, Hiſpanis, Burgundis, Inferioriſque Germaniæ populis porrendere illis bellorum calamitates. verum patet ijs non ſolum Regnis,

Regnis, & Prouincijs, sed vniuersæ fere Europæ illas fuisse cõmmunes.

At verò quoad aues attinet, aliud quid Sancius de Huerta philosophatur. is enim in sua Parenesi capite tertio, ait imagines auium visas in sublimi: sapius demonstrasse locorum, ac gentium mutationes. atque id probare contendit ex ablitis Rabinorum commentis in Pentateucon. cum igitur apparuerint quatuor aues volantes vna post alteram sagitta perforatæ quasi vno icu, alludi vult ad quatuor aues eo modo volantes, quæ prostant in gentilitio Stemmate Ducis Lotharingiæ. atque indicare ipsum Ducem cum sua Serenissima domo passurum incommoda quamplurima. quod indicat sagitta seu spiculum auibus illis infixum.

Rosetum vero ex quatuor mundi partibus ventis exsufflantibus percussum, interpretatus est Christophorus Brahe in suo Centiloquio articulo 15. Angliæ Regnum quod Rosam gerit pro insigne. & vult verum fuisse prognosticon durante bellorum perturbatione atque agitatione vehementi: in qua florentissimum illud Regnum adhuc persuerat.

SCORPIO

1643



SISTEMA TERTIVM.



Nno 1643. die 7. Januarij hora 10. noctis sub constellatione Scorpionis, apparuit in Cælo imago mulieris diademate coronatæ, quæ manibus gerebat vas latum ex quo fundere videbatur sex pilas, sex flores hyacinthi, & quædam ligna super tres coronas subiectas, & in petra collocatas.

Species mulierum sæpius visæ fuerunt in cælo. omissa enim muliere visa in Apocalypsi. mulier amicta Sole &c.

Anno Domini 969. 11. Decembris Antiochiæ visam fuisse speciem mulieris in Cælo ignei coloris, quæ horrendum in modum refulgens, per quatuor horarum spatium oculos omnium in se conuertit: testatur Conradus Lycost. fol. 365.

Et Iulius Obsequens cap. 73. refert temporibus Claudij Imperatoris Romæ visam in Cælo imaginem mulieris proceræ staturæ, quæ ex libro musices quam tenebat manibus cantare videbatur.

I V D I C I V M.

Claudius Lambertus cap. 13. sui viridarij refert se cum esset Dolæ in edito loco 10. hora noctis diei 7. Januarij vidisse ostentum supra dictum. quod intendit significare Italiam Reginam cum suis Principibus. per sex pilas interpretatur Magnum Ducem Hetruriæ, qui gerit illas pro insigni. per sex hyacinthos Ducem Parmensem, qui etiam tot flores gerit in stemmate. per ligna intelligit Republicam Venetam cum Duce Mutinensi. qui omnes in

Liga, quasi in vase quodam conuenientes contra Romanum Pontificem, qui gerit tres coronas in diademate, & collocatæ sunt supra petram: ipsum opprimere conati sunt. nos vero dato per sex pilas intelligi posse Magnum

Hetruriæ Ducem, & per sex Hyacinthos

Parmensem, non videmus quomodo

per ligna possit intelligi Veneta

Respublica, & etiam Dux


Mutinensis; neque

enim eis quid

quam

commune cum

lignis.



TEIVM



SISTEMA QVARTVM.



Nno 1644. 15. Augusti hora 7. noctis sub constellatione teli: visa est in Coelo imago Tauri, quæ Luna signum gerebat in humero, & cornua parabat in Leonem, ascendente de mari. contra quem etiam vibrabantur multæ lanceæ, armatæ ferro quod habebat figuram lunarem.

Quondam fuisse hastas in Cælo more præliantium vibratas, testantur Autores quamplurimi. nam ex Amelia, & Tudere Italiæ Ciuitatibus, noctu visas fuisse, Caio Mario contra hostes pugnante; testatur Iulius Obsequens cap. 77.

Et Auentinus scribit anno Domini 1103. visas in Cælo enses, gladios, & arma cruenta.

Ac tempore Henrici IV. Imperatoris cum orbis terrarum bellorum præcellis esset iactatus, & genus humanum vndique turbine armorum inuolutum. Orientales, & Occidentales inter se armis concurrerent, mortales mutuis vulneribus se affligerent, Galli, Normandi, Germani, Saxones, Vngari, Itali, Britanni, & Christiani Occidentales domesticis diffidijs, ciuilibus armis attriti essent, Græci, & Armeni, Turcæ, & Arabes, Hispani, & Saraceni, Asiatici, & Africani inter se infestis concurrerent hastis. Hierosolyma bis capta, bis expugnata esset. diluuium, sterilitate, annonæ caritate, fame, pestilentia sæpius laboratum. ignotis morbis, igne, flamma, ardore inuisibili homines excruciat; ita ut omnes dicerent Antichristi Imperium cepisse: ait Vincentius Belluacensis arma, & hastas concurrentes fuisse visas ex multis mundi partibus.

Idem testatur accidisse anno 1116. apparuisse enim hastas igneas à septentrione in Orientem; deinde plurima noctis parte sparsas per totum cælum maximo cum stupore videntium.

Imagines vero Tauri alias fuisse visas in Cælo colligitur ex Alexandro ab Alexandro, qui testatur Anno 1453. apud Comum vergente ad occasum die, species Taurorum visas ferri per aera.

Et Anno 1500. in Alsatia non procul à Tabernis, visum est in sublime caput Tauri toruis oculis, inter cuius cornua stella insolitæ magnitudinis emicabat. vt videre est in Chronicis Heluetiæ.

Anno 1546. in Pannonia inferiori ad horæ spatium, visum chasma, quod magnam ignis copiam in terram deiecit. supra ignem autem visus est atrii coloris bos, qui ignem mingeret. refert Fincelius lib. 5.

Leonem autem formâ alias visam fuisse, testatur idem Fincelius de miraculis lib. 6.

Anno 1547. in Heluetijs confectos fuisse duos exercitus, & duos Leones ante illos inter se concertantes, quorum alter alteri caput mordicus auulsit. Peritonius id refert in Chronico Heluetico cap. 53.

Anno 1556. in Decembri mense non procul ab Augusta Vindelicorum visum fuit certamen Vrsæ cum Leone. idem, ibidem. Signum Lunæ in aliquo corpore, aiunt Io. Multiuallis, & Gaspar Hedion in Historia Synopsi post Sabellicum sæpè visos. lunata enim brachia gerere visus est Vrsus maximus, qui apparuit Barcinone Cælo sereno, die 7. Iunij anno 1562. ad cuius conspectum tota fere Ciuitas admirabunda cucurrit ad mœnia versus mare; & cum omnium oculi in ostentio essent defixi: subito turbine imago disparuit. quod testatur Ramõnius in selectis.

Anno autem 1511. Rauennæ natum est monstrum quod cornu habebat in capite. brachia nulla, pedem vnum vt auis rapax. sexum vtrumque, in medio pectore effigiem mediæ Lunæ. testatur Hedion vbi sup.

I V D I C I V M.

S Ancius de Huerta in suo Cœntiloquio sect. 19. ait spectrum hoc Tauri, qui habebat Lunam in humero, & lanceas lunatas vibratas contra Leonem ascendentem de mari, significare bellum Turcicum contra Rempublicam Venetam. Turca enim Lunam gerere pro insigni, & per Leonem intelligi posse Venetam Rempublicam, quæ habet illud insigne certum est.

lanceas vero lunatas intelligi arma Turcica. maxime quia Leo ascendit de mari denotando dominium Maris Adriatici, & pedes ha-

bebant in terra vt denotaret Venetum Dominium in terrâ. cui interpretationi nihil videtur opponi posse, cum euentus comprobare latissimè rem videatur.

1801



C



1645

HERCVLES



S I S T E M A Q V I N T V M .



Nno 1645. die 5. Ianuarij hora noctis quarta, sub constellatione Herculis existentibus in altitudine Poli Borealis grad. 46. 33. 28. 21. visum est in sublimi Castrum ardens, Baculum Episcopale, seu virga Pastoralis: cui insidebat Columba, & cespes floris Hyacinthi, qui varijs fulcris sustentabatur.

Liuius, & Iulius Obsequens cap. 3. lib. 9. asserunt Capuæ visum esse in Cœlo quasi Castrum ardens.

Et Plinius lib. 2. c. 56. Montem ardentem in Cœlo visum fuisse testatur.

Sabellicus lib. 6. Ennead. 4. ait ardere in cœlo saepe visa loca. cum Alexander in Cabazam regionem exercitum duceret, iam biduum nubilo Cœlo, tertia die multo nubiliore orta, tota Cœli facies horrendo, atrore, fulgoribus intermicantibus ostentum præbuit Castri ardentis, quod militum oculos, & mentem perstrinxit.

Vincentius Belluac. lib. 5. cap. 55. ait ab eodem Alexandro in Ægypto visas fuisse nubes ardentes tamquam tabernacula, quæ flammam vndique vomerent.

Et idem Sabell. lib. 2. Ennead. 5. addit. cum Hannibal post conflictum cum Romanis ad Trasimenum per Hetruriam iter faceret, ac exercitum duceret, in Apennini iuga inter horrendos aeris fragores, & crebras corruscationes in Cœlo vidisse cum omni exercitu in sublime quasi domos ardentes. quod pro belli ardore; Diuini, interpretati sunt.

Anno 1540. Reate sereno Cœlo apparuit Baculum, seu virga Pastoralis. quæ viso durauit per dies duodecim, vt ait Lincelius lib. 3. miracul.

Columbam apparuisse in Cœlo sceptrum pedibus gerentem per duarum horarum spatium cunctis videntibus memorat Alexand. ab Alexand. lib. 3.

Flores verò alias in sublimi apparuisse, refert Auentinus in Annalibus Boiorum.

Anxiociæ anno 394. per dies triginta apparuisse in Cœlo signum quasi Columbae ardentis, ac pendens, testatur Conradus Lycosthenes. fol. 281.

Anno 828. apud Turingos cespes sesquipedalis cum floribus visus est in aere, qui moueri videbatur, & spatium viginriquinque pedum cōfecit duarum horarum spatio, testatur hoc Iulius Capresius in Hittoria mirabilium cap. 3.

I V D I C I V M .

Claudius Lambertus c. 18. sui viridarij ostentum hoc refert ad Parmæ ac Placentiæ Ducem, qui gerit in suo gentilitio Stemmate sex flores Hyacinthi. is autem qui Castri statum possidebat per Castrum accensum & ardentem vult significari belli incendium ex eo natum.

Per Columbam verò Baculo Pastoralis insidentem, denotari vult Papam ex gente Pamphilia, quæ in Stemmate gerit Columbam. Pastorale verò Baculum Pontificatus dignitatem. Fulcris autem sustentatos Hyacinthos dicit significari; fuisse causam Ducis Parmensis iam sustentatam à multis Principibus. hodie tamen ardere Castrum, idest consumptum & ad nihilum reductum. quæ interpretationes, quia euentui consonant, non videntur esse reiiciendæ.

SAGITARIUS

1646

21



SISTEMA SEXTVM.



Nno 1646. die 16. Maij, hora sexta noctis, sub constellatione Sagittarij exiitibus ad cleuationem Poli Artici 40.33.28.21 visa est imago in sublimē repræsens equitem armatum dextera claua ferrata. præterea flos Lilij ad quem volabat examen Apum, quas Columba persequēbatur.

Hominum armorum in equis multoties visa species in Cœlo. id probat Scripturæ locus 2. Machabæorum 5. cap. ante Christi Domini Aduentum ann. 178. nam quadraginta continuis diebus visa sunt per vniuersam Hierosolymam equites per aera discurrentes, auratasque Stolas habentes, ac hastas quasi ce. hortē armatas, cursus equorum per ordines digestos: congressiones fieri cominus, & scutorum motus. & galeatorum multitudinem gladijs distinctis, ac telorum iactus: & aureorum armorum splendorem, omnisque generis loricarum, &c.

Liuius verò lib. 11. cap. 31. ex Iul. Obsequent. ait ann. 214. ante Christum visas esse Amiterni species hominum armorum.

Auent. nus in Annalibus Boiorum ait anno Domini 1119. 13. Cal. Ianuarij, prima hora noctis visos in Cœlo equites igneos à Septentrione in Orientem vergentes.

Marcus Fritschius refert lib. 4. ann. 1550. tertio Idus Augusti, die sereno, visum fuisse arcum celestem, & circa ipsum equitem armatum: ab existentibus Norimbergæ.

Item idem ait anno 1554. 11. Iulij, ex Ciuitate Constantiæ visam fuisse turmam equitum vexillis lazureis inter se vtrinque concertantium ad duas ferme horas.

Stumphilio in Cronica. addit anno 1532. Monasterij in Vuestphalia visum, Cœlo sereno, equitem armatum equo insidentem, mucronem igneum agitantem.

Apes verò visas in Cœlo, testatur Liuius lib. 3. deca. 3. qui ait Cassini visum in Cœlo volare ingens Apum examen.

I V D I C I V M.

Equites armatos apparentes in Cœlo semper denotasse bella inter homines, asseruit Leonardus Bussetus, & probat allatis quamplurimis exemplis. ideoque hanc imaginem equitis armati claua ferrea: trahit ad significanda bella, quæ geri debebant per Germaniam. Examen vero Apum quas dum persequēbatur Columba refugiebant ad flores Lilij, significare vult Cardinales Barberinos, qui gerunt Apes in suo gentilitio Stemmate sequuras iri à Columba; idest à Pontifice, qui gerit Columbam in insigni, & confugere vult ad Lilij florem, idest ad protectionem Regis Galliæ, ipsius impartito patrocínio.

CENTAVRVS

1647



SISTEMA SEPTIMUM.



Nno 1647. 14. Mensis Augusti, sub constellatione Centauri, visus est ab existentibus sub altitudine Poli Borealis 46.33.28. 21. Leo tenens dextero pede anteriori fascem sagittarum. subtus vero imago mulieris tenentis manum ad caput, & manipulus spicarum, ad quas conuolabant aues quamplurimæ.

Spicas frumenti visas alias in sublime, testatur Liu. Obseq. lib. 18. cap. 2. & Sabellicus lib. 5. Ennead. 5. Plinius lib. 18. Vincent. Belluac. lib. 6. c. 82.

Mulieris vero imaginem in Cœlo visam in Cephalaria, testatur Obsequens cap. 73.

Et Anno 969. 11. Decembr. ignei coloris mulierem apparuisse in sublimi, refert Lycosthenes. fol. 365.

Anno vero 1553. in Thymigræ vico mulieris eiulantis imaginem clarissimè inter nubes visam, ait Finelius de mirac. Leonis vero iam supra dictum est sæpius.

I V D I C I V M.

Christophorus Brahe in suo libello de nouis Astris cap. 17. fatetur se dum Astrorum speculationi esset intentus, vidisse supradicta ostenta. aitque intelligi posse pro Leone, qui tenebat quasi manu fasciculum sagittarum confederatas Belgij Prouincias, quæ hoc symbolum gerunt in insigni: easque aliquid egregium molituras, per quod clarè resplendeat ipsarum potentia contra suos aduersarios. hoc vero vidimus fuisse conditiones pacis obtentas à Potentissimo Hispaniarum Rege, qui ultra quod Prouincijs scderatis concessit multa loca suæ ditionis, pacem cum illis, tanquam cum populis liberis, nec sibi subditis tandem composuit.

Pro muliere autem, quæ apparebat tristis, intelligi vult Galliam, quæ valde molestè tulit pacem istam ab Hispaniæ Rege cum Hollandis.

Aues vero accurrentes ad frumenti spicas, significare ait orituram ex ea pace maximam abundantiam in Belgio. itavt sufficiat ad alendum quamplurimas gentes. Haud inepta interpretatio doctissimi viri.

1648

CAPVT MEDVSÆ



SISTEMA OCTAVVM.



Nno 1648. die 7. Octobris hora 6. noctis sub constellatione Capitis Medusæ visum fuit ab existentibus in altitudine poli Borealis grad. 46. 33. 28. 21. spectrum representans equum, qui rupta catena, quam gerebat ad pedem, furibundus saebat. & ad pedes habebat mortuos homines, truncos capite, manibus ac membris discissis.

C. Iulio Cæsare existente in Lusitania: cum quadam nocte milites in stationibus permantes castraret, visus est in sublimi hinnulus, qui matrem equam calcibus impetebat. Hæcuspices interrogati, interpretati sunt Cæsarem ipsum contra patriam consurrecturum. crevit opinio. nam in ipsius grege equorum quem alebat dominatus paulo post equus qui pro pedibus anterioribus habebat velut brachia humana cum suis manibus, digitis, & ungulis ad modum manuum humanarum. quem equum generosissimi spiritus maximè carum habuit: nullumque alium fessorem præter ipsum passum fuisse. narrat Rosinus antiq. lib. 7. cap. 13.

Alexander ab Alex. lib. 3. cap. 13. asserit anno 1453. apud Comum Italiæ Ciuitatem vergente ad occasum die: per spatium trium fere horarum visas fuisse in Cælo quasdam species equorum subsulrantium.

Iobus Fincelius lib 3. miracul. narrat Burdegalis anno 1323. visam in aere imaginem equi furibundi, qui per aspera quadam iuga nitebatur ascendere. quosdam autem lanceis ac iaculis, qui contra eum veniebant calcibus, & morsibus protegebat. Durauit visio per quatuor horas diei, Cælo maximè nitido cunctis admirantibus.

Mortuorum vero, & hominum truncorum diuersas imagines visas in Cælo, testatur Auentinus in Annal. Boiorum lib. 2. cap. 2. aitque anno 1341. Augustæ Vindelicorum visa spectra mortuorum, ac truncorum hominum imagines per viginti dies. horrendasque mortuorum species funestasse totam Ciuitatem, itaut multi præ tristitia decumberent.

Sab. llicus lib. 7. enncad. 7. refert anno 1358. diem 3. Iulij nocte præcedenti mirum in modum nigrescente, apparuisse in aere splendoris hiatum latissimum Hadriæ: in eoque splendore visas mortuorum tumbas, durante visione per duas ferme horas.

Fabius Peritonius in lib. 2. cap. 23. suæ Synopsis: refert Taurini anno 1349. tertia die Maij cum multi Ciues congregati ad ripam fluminis iocis essent ac ludibundi: subito nigrescente lucidissima nocte: apparuisse in aere multa capita hominum trunca, & multo sanguine velut stillantia inter armorum plurima genera veluti lancearum, ensium, securium. qua visione territa vniuersa illa hominum, ac mulierum multitudo: pauore attonita vix ad propria remeare ausa fuit: multis ex cis postea decumbentibus, hirtoque capillo perdurantibus ad longum tempus.

Clemens Virgarius lib. 3. de nouis astris Mediceis memorat Senis in Hetruria anno 1472. per dies tres apparuisse media nocte 15. Iunij truncorum hominum sine capite maximam multitudinem in aere, quæ res Ciues qui spectro illi astiterant maximo terrori ad vitæ melioris frugem incitauit. visusque propterea populus Senensis pietati, ac deuotioni maximè deditus.

I V D I C I V M.

Claudius Lambertus vbi supra interpretatus est ostentum equi pro Regno Neapolitano, quod gerere insigne equi notissimum est. hoc vero catena disrupta ferocire visum, idest rupta fidelitate quam suo Regi debebat libertatem nactum inter occisorum cadauera subsultare ac prosilire, quæ causa potissima fuit multarum cædium, ac Ciuium suorum interfectionum.

150
151
152


[0.03]



D 1

NAVIS

1649



SISTEMA NONVM.



Nno 1649. sub constellatione Nauis prima die Februarij hora noctis decima, ab existentibus in gradu 46. 33. 28. 21. eleuationis Poli Borealis visum est in Cælo spectrum duorum Canum latrantium versus septem Stellas: ex parte vero alia duarum manuum iunctarum in fide: & mensa cum terno nummorum ordine. durauitque huiusmodi spectrum per tres horas, vt refert Claudius Lambertus capit. 13. sui Viridarij Astronomici. & Leonardus Bufferus in sua Meteorologia capit. septimo.

Canum imagines visas per aera refert Alexander ab Alexandro lib. tertio, capit. 15. apud Comum Urbem Citerioris Galliaë anno 1453. die 7. Nouemb. vergente ad occasum die. secutamque maximam Christianorum stragem illatam à Saracenis in Oriente.

Lycothenes vero fol. 35. ait Basileæ visum spectrum horrendum canis nigerri- mi Cælo sereno anno 1559. die 3. Decembris, ac perdurasse latranti similem illum formam per quinque horas. ad quam conuersi Canes, qui noctu circuibant Ciuitatem vniuersali latratu perdurasse longissimè cum maxima hominum consternatione animi.

Auentinus etiam in Annalibus Boiorum lib. 2. cap. 3. refert Cracouiaë in Polonia anno 1365. visas per aera figuras Canum, quæ ab Oriente in Septentrionem migrare videbantur. idque per dies non minus triginta: vergente Sole ad occasum.

Cromerus quoque id confirmat Hist. Polon. lib. 10. cap. 3. Stellas varias apparuisse, quæ non erant in firmamento, ex cunctis ferè Astrologis notissimum est. huc enim referri possunt variæ Cometæ, quæ in omni fere sæculo apparuere. exisque diuersæ prædictiones extiterunt considerato ipsorum motu, situ, dispositione, ac duratione. quarum prædictionum plena sunt Astrologorum scripta. & hic referre proposita breuitati minimè consentaneum.

Manus apparuisse in sublimi refert Frischius in suis Annal. anno 1352. Baionaë mensis Octobris 23. qui addit hora 2. post meridiem totam ferè Ciuitatem ad tale ostentum fuisse conuersam. manuumque duarum velut in fide iunctarum perdurasse vsque ad primam horam noctis Cælo maximè nitido.

Plinius quoque Natural. lib. 13. cap. 7. affirmat visam in aere manum velut scribentem ab Heliopolitis, atque id ex Plinio adducit Velsler. lib. 7. cap. 18. annotationum.

Mensas, & nummorum species alias fuisse visas haud memini me vidisse apud Auctores. quod ingenuè mihi fatendum satius existimaui.

I V D I C I V M.

Leonardus Bufferus capit. 31. suæ Meteorologiæ . per duorum Canum imaginem latrantium versus Stellas : intelligi vult de Turcis , qui latrare videntur contra Venetos . qui respectu Orientis positi sunt Septentrionem versus .

Duas vero manus iunctas in fide significare Coronam Galliæ , quæ cum Suecis , atque alijs Germaniæ populis conuenientes : cum ipsa deuentura est ad tractationem , & pacis conclusionem cum Imperatore , atque Imperij Statibus .

Pro mensa autem cum nummis ex terno ordine expositis significari perseverantiam Regis Portugalliæ , qui gerit pro insigni quinque scuta cum triginta argenteis denarijs . mensa enim significat consistentiam . nummorum vero expositio confidentiam diuitiarum , quibus abundat Lusitaniæ Regnum . contractumque cum Regnis Orientis .



1650

ARCTVRVS



S I S T E M A D E C I M V M .



Nno 1650. sub constellatione Centauri ab existentibus in altitudine grad. 46.33. 28.21. Poli Artici: visa est in Cælo species Aquilæ, quæ deplumabatur à diuersis auibus; & subtrus illam figura Leonis pilam agitantis versus florem I ilij.

Christophorus Brahe in lib. de nouis Astris cap. 35. ait se vidisse hoc ostentum 23. Martij hora 5. noctis cum esset Virbij, qui locus positus est sub altitudinis gradu 33. Poli Septemtrionalis: neque indiguisse se vt aliquo instrumento Mathematico, sed cum quinque socijs in edito loco speculationi astrorum incumbenti apparuisse hoc ostentum.

Aues apparentes Romulo urbem condituro auspicio fuerunt. vt narrat Liuius.

Et Cæsari in Campum Martium exercitum deducenti, ac deinde creato Consuli, & rostra conscendenti, apparere. vt constat ex eodem Liuiio.

Postea vero cum Seianus, qui Consulatum gerebat peractis sacrificijs, & auspicijs habitis nullæ aues prosperæ, sed Corui circumuolarent, & canerent, ac supra domum ipsius considere visi essent; Haruspices è dignitate Consulari ipsum propellendum esse iudicarunt. vt euenit.

I V D I C I V M .

Christophorus Brahe vbi supra interpretatus fuit ostentum pro Imperatore: aitque Aquilam Imperij signum ab auibus impetitam, & deplumatam. significare auellendas ab Imperio quamplurimas Ciuitates, oppida, ac terras. ac in pace iccta in Conuentu Monasteriensis Imperium quodammodo deplumandum.

Per Leonem autem agitantem pilam, seu orbem versus flores Liliij, intelligendum esse Regem Hispaniæ, qui Leonem potissimum gerit in stemmate Legionis, & Castellæ. hunc igitur moturum omnem machinam aduersus Gallorum lilia, vtea conterat, & euertat. quod facile persuaderi potest ex tractatione armorum, ac negotiorum contra Gallos durante bello, ac disensionibus inter vtramque gentem.

EXAMEN PHILOSOPHICVM.



Prodigiorum seu Portentorum, quæ in aere vel alibi conspiciuntur: quædam Physicas habent causas: quædam non habent; cum Cælestium corporum in fluxu efformari neutiquam valeant. itaque hæc aut diuina fiunt virtute, aut opera Angelorum, aut etiam Dæmonum. ex vtrisque vero nonnulla interdum aut insignem aliquem æuentum, qui iam extet, extiteritve declarant; aut impendentia mala mortalium generi, ac nonnumquam futura bona profari iam statuimus. hinc M. Tullius de Nat. Deor. refert ex Cleanthe vnam ex quatuor causis per quas Numinis Diuini notiones hominum mentibus informatæ sunt, esse prodigia Cælestia; quæ interdum magnarum calamitatum sunt prænuentia.

Hæc autem præsignificatio intelligi potest, vel quia spectra ostenta indicant magnam exhalationis calidæ, & siccæ copiam, quæ non aerem solum calefacit, & exsiccac, sed in hominum etiam corpora desæuit, bilique accensa; bella, & pugnas ciet; vel morbos creat, in ijs præsertim, qui facilioris, & delicatioris sunt habitus: vel quia talia portenta ex diuino instituto assumuntur ad aliquid significandum: licet ordinariè fiant ascitis ad id causas naturalibus, Dei nutui obsequentibus. educta v. g. è terris exhalationum copia ad spectra illa formanda, fouendaque. quas causas Diuina sua prouidentia desipietat, disposueratque Deus, vt certo tempore ad hos effectus concurrerent. vt docet Medina 2. lib. suæ Parænesis cap. 1. qui sic ait. loquitur, Deus cum hominibus non modo humana lingua per sacros Vates, vt à peccatis auocentur, & resipiscant, sed nonnumquam ipsis elementis in formas & imagines diuersas, ad eorundem terrorem compositis. Speciatim verò huius generis prodigia semper aliquid nouum, & insigne demonstrant. vt ex superiorum temporum annalibus planum est.

Cæterum quæ non habent Physicas causas, sed fiunt vel Diuina, vel Angelorum, & Dæmonum virtute ipsa etiam fieri ex rebus naturalibus facillè persuadetur. & quidem quæ fiunt ab Angelis, vel Dæmonijs Deo permittente non est dubium fieri etiam ex rebus naturalibus. alioquin creaturis competeret opus creationis, quod est facere aliquid ex nihilo. si quæ autem fiunt immediatè à Deo; non est verisimile de nouo creari, sed ex materia præexistente educi. videlicet ex vaporibus, exhalationibus atque ipsis elementis: cum nulla vrgeat ratio aliter faciendi. quare concludendum.

Omnia Spectra siue ostenta fieri ex multa exhalatione pingui, crassa, constanti partibus bene coagmentatis. quoad habentia Physicas causas, sententia est Aristotelis lib. 1. Meteor. cap. 4. quam tuentur Ptolomæus, & Albumazar in lib. de coniunctionibus, itemque Albertus Magn. lib. 1. tract. 3. cap. 5. Auicenna, Algazel, Alexander, Philoponus, alijque Peripatetici.

Talem autem esse materiam non Cœlestem argumento est, quod omnia tandem videntur aboleri.

Præterea, Mathematici instrumentis Astronomicis Lunæ altitudinem dimensæ depræhenderunt, omnia spectra esse Luna inferiores. non igitur in Cœlo, sed elementari mundo insunt. in suprema scilicet aeris regione. de hac altitudine bene locutus est Regiomontanus in tract. de Cometa. Ioan. Vogelius in opusc. de Cometa. Nouius in lib. de crepusculis. Vitellio lib. 10. propositione 60. Plin. lib. 2. cap. 25. ait spatium quo spectra cernuntur esse longissimum ad octoginta dies. Seneca lib. 7. natur. quæst. c. 12. ad summum sex menses. vera sententia est non esse tempus ad regulam definitum.

Motus est multiplex. ab Oriente in Occidentem, quo vna cum sphaeris Cœlestibus, & igni, supremaque aeris regione in girum voluntur. Secundus ab Occasu, ad Orientem: qui propriè non est motus, sed retardatio prioris motus, facta comparatione ad punctum Cœli cui spectrum recens ortum respondebat. hæc vero retardatio prouenit ex eo quia ignis, & aer cum sint fluxa corpora non excipiunt totam efficaciam impetus Cœlestium lationum, & spectrum ob suam molem, & crassitiam raptui obluclatur. Tertius motus est nunc ad Septentrionem, nunc ad Meridiem, aliaque locorum differentias. hic autem motus nascitur vel ex impulsu alicuius Syderis in spectrum dominantis, vel quia spectrum sequitur materiam dominantem, & ad eam partem, quæ ei suggeritur paulatim serpit.

Colores non quidem veri (quos non habent) sed fucati, & apparentes, multi varique sunt. alij sincero, & quasi argenteo lumine fulgent. alijs robur inest sine vlla luce. alijs flamma: & hæc non pura, & tenuis, sed multum circa se voluens humidi ardoris. quædam eruenta sunt, & minacia, toruo ac terrifico præ alijs aspectu, quæ varietas à materiæ diuersitate nascitur.

Omnia hæc iterum conuenire spectris, quæ non habent Physicas causas dicendum videtur. quandoquidem etsi non habeant Cœlestium corporum influxum à quibus fuerint efformata. ex diuino tamen opificio, vel Angelorum aut Dæmonum assumitur materia sublunaris vel elementaris, cuius easdem esse passiones aptas natas idem facere, quod euenit in habentibus solum causam Physicam. Ceterum si auctoribus fide dignis, qui de decem istis ostentis vnanimiter scripserunt credere volumus, vt credendum est. illa haud esse prodigia ex primo genere, quæ scilicet habeant solum Physicas causas dicere debemus. omnia enim fuere præter ordinem portentorum, quæ à Philosophis communiter enumerantur. à quonam vero fuerint efformata, incertum.

